



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. An, & quâ ratione liceat transigere de rebus spiritualibus. vel ijs, quæ spiritualibus annexa sunt?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

f. b. t. vel nisi præter mandatum procuratorium liberum à Capitulo, sive Conventu, literas etiam sive clausulam habeat de ratificatione, sive quòd Conventus sui Capitulum omnia rata habere velit, quæ Prælati in causa aliqua ipsi commissæ egerit, juxta relatum *c. Contin- git.* vel nisi casus necessitatis aliud exigat, ad gravia v. g. scandala devitanda, &c. aut transactionem de juribus sibi competentibus Parochus v. g. fecerit ad dies tantum vitæ. *c. De cetero s. b. t.* vel beneficiatus v. g. liti sibi mortæ cederet, ut jus suum beneficiale, ad quod institutus legitime videtur, retineat, argu. *c. Admonet 4. de renunt.* solvendo etiam impostum beneficiatio legitimâ auctoritate censum, in proprium præjudicium cum legitimi Superioris auctoritate, admittendo quòd ad dies vitæ v. g. suæ ita ut talis transactio sit merè personalis,

§. III.

An, & quâ ratione liceat transigere de rebus spiritualibus, vel iis, quæ spiritualibus annexa sunt?

Transactio, ut pro beneficio Ecclesiastico, aut re spirituali temporale quid detur, remittatur, aut promittatur, vel etiam spirituale aliquid, cui annexum est quid temporale, non valet, quia speciem Simonie habet, ut dictum, & ex *c. ult. de rerum permutatione*, ac *c. Super eo 7. h. t.* patet. Ubi sola amicabile & proles gratuita compositio (cæteris paribus) incausis his beneficialibus admittitur. Quòd si tamen pro re aut jure purè spirituali alia res aut jus purè spirituale detur, non est simoniaca talis transactio, sed speciem potius permutationis licitæ habet, & idè hæc transactio

fieri potest argu. *c. Ad questionem 6. & c. final. juxta Gloss. V. temporalia de rerum permnt.* quamvis ex speciali ratione aliqua, licentia nonnunquam Prælati & aliis solemnitates intervenire debeant, quin alienationem bonorum Ecclesiasticorum continet.

Ex *c. Præterea 9. b. t.* insuper constat, quòd super jure patronatûs, aut præsentandi ad beneficia, pro re temporali transigi non possit, cum jus patronatûs spirituale quid sit, ut tradit *Glossa finalis hic*, vel certè spirituali antecederet annexum *c. Quanto 3. junctâ Gloss. V. annexa. de judicis.* & ex *c. Præterea 10. b. t.* super spirituali subjectione pro re temporali aliqua transigi non potest, ob periculum & speciem Simonie & ex *c. Ex parte 11. b. t.* super matrimonio nec transactio nec amicabile compositio fieri potest, si contra vinculum matrimonii per talem transactionem aut compositionem fieret aliquid, ad illud dissolvendum, ut advertit *Glossa hic V. Sacramentum*, cum in nostra potestate non sit dissolutio matrimonii ex jure Divino insolubilis.

§. IV.

De quibus præterea rebus, seu causis licitum sit transigere, vel non?

DE publico crimine capitali (ob quod scilicet pœna sanguinis irrogatur) quòd liceat transigere ex *l. transigere 18. junctâ Gloss. V. Capital. Cod. h. t.* patet. Quis licet cuius sanguinem suum quovis modo redimere; neque pro confesso reus transigens haberi debet, quia merito censeri potest, non tam ob conscientiam criminis quàm ad periculosam accusationem. de-
cla-